



rem omnia sua bona communia cum illo habere voluisse commonstraret. Sed et mihi cum divo Bernardo (*ser. de pur.*) putare licet Christum Dominum in hoc itinere partim portatum a Maria, partim a Iosepho; portatur, inquit, a parentibus, et a senibus expectatur: nihil enim boni credenda est beata Virgo unquam habuisse, cuius virum suum Iosephum participem non faceret. Quod adeo verum est, ut cum matris honorifico nomine ipsa gauderet, glorioso patris Christi nomine Iosephum cohonestare non dubitari, dicens (*Luc. 2*): *Pater tuus, et ego dolentes querebamus te.* Melius quidem Maria, quam Paulus dicere potuisset illud (*Actor. 26*): *Opto apud Deum, et in modico, et in magno te feriatem, qualis et ego sum.* Hinc discant uxores viros suos honorare, et quicquid bonum familiae regimine parit, non sibi solis arrogare, sed viris etiam suis illud deferre. Egre ditur beata Virgo Iosepho sponso suo associata esse bethlehemitico oppido, et tanquam par coniugum castissimum mutuo amore se redamantes, Ierosolymam properant. Laeta tunc calcabant tellus, ridebat coelum, et aspirant dulces auras, cuncta vernabant, Creatoris sui baulae omnes circumtrae applaudebant. Bone Deus! quanto verius, et aptius Claudianus (*lib. 2, de raptu, et lib. de nuptiis Parad. et caelestinae*) nunc ececinisset:

Qua properat, veris sequitur color, omnis in herbas  
Turgit humis, mediotque patent convexa sereno:  
Sanguinea splendore rosas, vaccinia nigro  
Inhibuit, et dulci violas ferrugine pingit.  
Prosequitur voceri late comitatus euntem.

Haec voceri isti coniuges Maria, et Ioseph magna angelorum caetera stipati, et parentes Dei decebat, coeleste pignus deferebant, et in templum illud inferrent ac praesentarent. Sed quid quaeso opus erat Filium praesentare Patri, qui a Patre nunquam recedit, nec Patri linguens dexterae, ad opus suum exiens, venit ad vitae vesperam: unde ipse ait (*Ioan. 10*): *Ego in Patre, et Pater in me est: et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum.*

Nec satisfacit difficultati, si quis dicat praesentari Christum in quantum hominem; praedicta autem testimonia loqui de illo in quantum Deus: quia revera etiam quatenus homo praesentissimus erat Deo, cum substantialiter et hypostaticae unionis vinculo Verbo Dei esset unitus. Quare existimaverim id manifeste convincere, quod scit Christus non ob propriam necessitatem circumcisionem se subiecit, sed ut observantiae legis et spiritualis circumcisionis nobis praereter exemplum; ita modo se Patri praesentavit, non quia huiusmodi praesentatione indigeret, sed ut nos Deo praesentandi, et offerendi exemplum, et documentum daret. Didici hanc doctrinam a divo Athansio, qui versans proposita verba, ut sisterent cum Domino, dixit: *Quando a patris aspectibus absuit Dominus? aut quis locus excipitur ab eius imperio? ut ibi existendo, senotus a Patre sit, nisi offeratur Ierosolymam, et introducatur in templum? Sed forte causa nostri haec scripta sunt: sicut enim non*

*gratia sui hono factus est, circumciscus in carne, sed ut nos per gratiam faceret deos, et ut spiritaliter circumciscidamur, sic propter nos assistitur Domino, ut discamus Deo praesentare nosmetipsos; hactenus divus Athanasius. Cuius doctrinam sequitur divus Thomas (3. p. q. 37. art. 3. arg. 2. et resp. ad 2), postquam proposuerat secundum argumentum in haec verba: Illud quod est semper praesens alicui, non potest ei praesentari: sed Christi humanitas semper fuit Deo maxime praesens, utpole semper ei coniuncta in unitate personae: ergo non oportuit, quod coram Domino sisteretur. In hunc modum Angelicus Doctor respondet: Dicendum, quod sicut Filius Dei non propter seipsum factus est homo, et circumciscus in carne, sed ut nos per gratiam faceret deos, et spiritaliter circumciscidamur, sic propter nos assistit Domino, ut discamus Deo praesentare nosmetipsos: et hoc post circumciscionem eius factum est, ut ostendat neminem nisi circumciscum vitis dignum esse divinis conspectibus.*

Porro sequentia verba, quae longiorem excolunt sermonem, exponere properemus (*Luc. 2*): *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. Tangit hic sacer textus praecipuum illud, quod clarius (Num. 3.) his verbis proponitur: Meum est omne primogenitum, eze quo percussit primogenitos in terra Aegypti: sanctifica mihi quicquid primum nascitur in Israel ab homine usque ad pecus. Quator praecipue huius legis rationes assignari possunt. Prima quam tangit ipse sacer textus. Cum enim filii Israel sub Pharaonis iugo degerent, iratus Dominus quod non permitteret illum libere abire, percussit omnia eorum primogenita, et de aegyptiaca captivitate in praedio potenti populum suum eduxit cum omnibus eius animantibus, et in recognitionem, et gratiarum actionem huius beneficii praecipit Deus primogenita sibi offerri, et consecrari. Antiqui non ignorantes quanti momenti sit gratiarum actio, multa de illa nobis docere Graeci enim, ut auctor est Pausanias, dixerunt tres esse gratias, cui consentiens Aelianus (*in Emblemat.*) ececinuit:*

Tres charites adsunt Veneri, dominumque sequuntur.

Lacedaemonii, eodem referente Pausania, duas tantum apponebant; quator tamen assignat communiter sententia, ut docet Verderius (*lib. de imag.*): prima floribus coronabatur; secunda specie frumenti; tertia uvaram botris, et aliis arborum fructibus; quarta olivis: quo significare voluerunt, quod sicut quando viget anni ubertas, floribus maii correspondent copiosae angusti fruges, cui etiam autumnus multos fructibus cumulatissime succedit, ac tandem hybernium tempus olivarum locupletissimum subsequitur; ita ille, qui in maio florido peruita debitas gratias pro beneficiis sibi collatis Deo refert, augustum iuventutis suae felicem sibi futurum merito expectare poterit: quod si eo tempore quo ignis concupiscentiae vehementius ardere solet, beneficiorum Dei memoriam assumit, merito sibi pol-

liceri poterit, autnumum senectutis valde fructiferum, ac perfectam iudicii in rebus ferendis maturalem. Quod si tunc praesentate viribus deficientibus, gratiarum actioni vacare non desinit, in hybernium tempus futurae suae mortis charitatis oleum ei non deficiet, quo eius lampade accensa cum prudentibus virginibus divino Sponso confidenter occurrere possit. Dicebant deinde Antiqui, praedictas gratias esse ipsas diei horas; quae non obscure docebant, gratiarum actionem continuam sicut horas diei esse debere, quarum una absque interpolatione succedit alteri. Hoc ad unguem observabat David, cum dicebat (*Psal. 33.*): *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Asserebant deinde iidem Antiqui, ut refert Verderius (*ubi sup.*), Mercurium deum sapientiae ducem fuisse illarum gratiarum, et quod abire debent, ostendebat; quo non aliquid denotabat quam hominem gratum sapientia praeditum esse oportere, ut sciat cui, et quomodo referri debeat gratiarum actio: insipientes enim se laudantium gratias referunt; sapientes vero, cum laudantur, ad Deum gratiarum actionem convertunt, a quo omne bonum suum proficisci, ac se recepisse fatentur, sicut beatae Virgini contigit, quae ab Elisabeth mirifice laudata, *benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui; et, beata quae credidisti:* continuo ipsa divinas laudes cececit, *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo:* docebat sane illam divinus Mercurius, increata scilicet Sapientia Patris, quae in ventre eius delitesebat, et ideo novit cui gratias referre deberet.

In hac gratiarum actione duos insignes viros Abraham, et Iosue singulariter excelluisse in sacris literis animadverti. Genesis enim cap. 12. refert Moyses, quod Abraham, in quocumque loco fugebat tabernaculum suum, ibidem etiam fugebat altare Domino: unde d. Chrysostomus (*hom. 24*) hoc ipsum observans in commentario illius loci, inquit: *Gratum se exhibuisse in singulis locis, ubi tabernaculum fecit, innuens hoc praesentibus ei fuisse curae, ut structo altari preces offerret.* De Iosue etiam sacer textus narrat, quod quando praecipit ei Deus, ut de medio Iordanis, per quem sacerdos sicco pede transierat, Deo impetum aquarum compescente, duodecim darissimos lapides extraheret, quos in memoriam tanti beneficii in loco castrorum collocaret, ubi tentoria figeret; ipse quidem his duodecim lapidibus non contentus, alios duodecim erexit: *Alios quoque duodecim lapides posuit in medio Iordanis alicui, ubi steterunt sacerdotes, qui portabant arcam foederis, et sunt ibi usque in praesentem diem:* unde Nicolaus de Lyra (*super Iosue 4*) ait, quod quando Ioannes Baptista in eodem fluminis Iordanis loco baptizans dixit: *Polens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham, respexit, et signavit praedictos duodecim lapides, quos in signum et pignus maioris gratitudinis in medio Iordane constituerat Iosue.*

Hinc velim vos doceri, tanto frequentiores in gratiarum actione vos esse debere, quanto praesentibus illis Patribus sublimiora at-

que excellentiora recepistis beneficia, praesentium incarnationis Verbi divini, et eucharistiae cum reliquis sacramentis, necnon evangelicae doctrinae, et aliorum charismatum tam communium, quam singularium, quae perlongum esset recensere. Id etiam enperem vobis suaderi, ingratitudinem graviter a Deo puniri, originemque ac praesenem omnium malorum fontem. Et ut ab hoc ultimo exordiar, constentur id s. Augustinus, et Bernardus: ille enim de ingratitudine loquens ait: *Propter illam mala mortua orientur, et viva iam opera moriuntur, ut ultra non adipiscantur;* hic vero non longe ab Augustino recedens inquit: *Ingratitudo inimica est animae, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio:* (*serm. aut. 2. de sept. miserie.*) d. Bernardus haec valde observanda scripsit: *Dico ego vobis, quoniam pro meo spero nihil ita displicet Deo, praesentium in filiis gratiae hominibus concessis, quem admodum ingratitudo.* Atque hinc est, quod per prophetam Sophoniam Deus in haec verba ingratitudinem urbis Iersalem, quae cum aliquo non semel a Deo ex gravissimis periculis fuisse erepta, adversus Deum ingratitudinis vilio laborabat. In sensu vero mystico, omni animae ingratitudo praefata verba dicuntur: in quibus animadversione dignum est, quod, ut adnotavit idem s. P. Hieronymus, Interpres graecus veritatem, *vae civitas redempta Deum amaram faciens:* quasi diceret, ut verbis Hieronymi utar, *vae civitas dulcem Dominum atque elementem certens in amaritudinem, ut si misericordiam vult, punire cogatur.* Hinc ponderare oportet, ut propria ingratitudo claris vobis insinuet, quod si solam ingratitudinem illius urbis, quae tunc non aliter dicebatur redempta, nisi quia tempore Sennacherib sanguine plusquam centum mille hominum, et tempore Pharaonis, occasione magnae Aegyptiorum multitudinis fuerat ab inimicis liberata, adeo Deus detestabatur; multo magis vestram ingratitudinem excrabitur, qui proprio sanguine Filii Dei gravissimis tormentis effuso, iustis redempti, d. Petro Apostolo dicente (*1. Petr. 1*): *Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra concorsatione paterna traditione, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, et incantaminati.* De vobis quidem tanquam ingratiss iuxta sententiam d. Ambrosii (*sup. hunc locum*) conquiretur Deus per Isaiam dicens: *Canes multi non valentes latrare.* Camis, inquit d. Ambrosius, symbolum est gratitudinis, quia si panem domini comedit, latratibus suis donum eiusdem custodit; si tamen manducasset, et non latrasset, continuo odio haberetur: ad hoc ergo Deus alludens, ingratos homines, qui ad referendas debitas sibi gratias pro beneficiis acceptis obtuscent, canes multos non valentes latrare illos vocitat. Sed non contentus Dominus variis minis in ingratos homines invehi, acriter eodem plectit, ut non obscure indicat parabola lilla vineae, quam d. Matthaes commemorat. Locaverat illam Dominus agricolis,

abstulitque eam ab eis, non quidem ex defectu debita cultura, non quia sepe eadem dirapsissent, non quia torcular destruxissent, aut quoque alio modo vineam fuissent devastati; sed propter ingentem illam ingratitude, occidendo proprium filium, quem Dominus vineae ad visitandum illos miserat.

Tandem illud dicere non parcam in hoc genere Argumenti, quod d. Chrysostomus (*homil. 13. in Gen. 15*) interrogat, cur Deus hominem creasset extra paradisum, postea in paradisum eum constituit, ubi amoenitate, et pulchritudine illius loci frui poterat? et sapienter respondet in haec verba: *Ut ex aspectu, et conversatione nullam perciperet voluptatem, provocareturque ad gratitudinem, intelligens quomodo sit affectus beneficis, cum nullum adhuc boni specimen praebisset.* Quia tamen primus parens tot beneficis cumulatus non solum par pari non retulit, sed ingratus summo largitori debitum obedientiae tributum pendere respuit, exul factus est a paradiso, et coelestibus originariae iustitiae charismatibus expoliatus, adeo ut in eo videatur impletum illud (*Threnor. 2*): *Tendit arcum suum quasi inivisus, firmavit dexteram suam quasi hostis: et occidit eum quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiae Sion, effudit quasi ignem indignationem suam.*

Secunda ratio, propter quam voluit Deus olim sibi offerri primogenita, fuit ut veluti in typo de figura nos doceretur primogenita nostra D.O.M. devovere, et consecrare. Tria primogenita in nobis reperio, quae divina maiestas omnino offerri sibi vindicat. Primum est cor: (*Prov. 23*): *Filius praebere mihi cor tuum.* Cor enim, ut philosophi docent, omnium membrorum primogenitum est, quia primum inter omnia vitam recipit. Equidem cum b. Virgo in utilitate nostram primogenitum suum Deo offerat, non est cur nos respuamus primogenitum nostrum in Dei honorem ipsi consecrare. Parum quidem est omnia nostra illi offerre, nisi cor etiam ei offeramus: nam quemadmodum licet Deus omnia bona, quae extra ipsum sunt iam terrestria, quam coelestia nobis largiatur, nisi seipsum donaverit, minime nos satiaret; eadem ratione nec nos quaecumque illi porrigamus, si cor nostrum ei non obtulerimus, minime illum placabimus, nec ei faciemus satis. Unde sicut ipse ita dixit nos, ut primogenitum suum nobis daret; ita nos quoque taliter eum diligere debemus, ut primogenitum, hoc est, cor nostrum, liberaliter ei offeramus. Refert Seneca (*lib. 1. de ben.*), quod huic argumento mirifice facit, quod cum Socrati multi praeclara multa pro suis quisque facultatibus munera offerrent, Aeschynes pauper auditor: *Nihil, inquit, dignum te quod dare tibi possim invenio; et hoc modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi quem unum habeo, me ipsum: hoc minus rogo quaecumque est, boni consulas: cogitesque alios cum nullum tibi darent, plus sibi reliquisse.* Cui Socrates: *Quid mihi tu, respondit, magnam munus dederis? si forte parvi te aestimas: habeo itaque curae, ut te meliorem tibi reddam quam accipis; haec tunc Seneca. Tu vero Aeschynem imitare; non Socrati, sed Deo totum dona te ipsum: quod si*

donaveris, multo ille te meliorem tibi ipsi reddet. Aliud primogenitum nostrum est principium usus liberi arbitrii, quando tempus adultae aetatis in nobis incipit, quod maxime desiderat Deus sibi offerri. Sed pro dolor! mira est perversitas illorum qui primordia vitae ac florem iuventutis suae Veneri, factes vero senectutis suae Deo offerunt; sed ideo in inferno faeces calcis irae Dei bibent, iuxta illud Davidis (*Psal. 74*): *Veruntamen faex eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terrae: etenim qui tempore adolescentiae pravus assuevit moribus, tempore senectutis eisdem frequenter inquinabitur, ut per Salomonem Spiritus sanctus dixit (*Prov. 22*): *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Unde Ieremias ut significaret difficultatem pravam, et antiquam consuetudinem in bonam commutandi, quia consuetudo est altera natura, ut docuit Arist. (*lib. de mem.*), dixit: *Sicut Aethyops non potest mutare pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis beneficiare, cum didiceritis malum: sicut enim quando navis pervenit ad ripam, non extenduntur vela, sed tunc anchoram iacit nauclerus; non secus quando ad ultimam aetatis suae metam perveneris, frustra tibi blandiris quod tunc vela postnitentiae tendes: id enim incertissimum est: facile namque continget, ut prae gravitate infirmitatis mens, et ratio tibi deficiat; deficientem autem usu rationis, nequi liberum arbitrium in Deum converti, et ex consequenti in aeternum damnaberis. Adverte quae, miser, quam ingenti aeternae salutis tuae periculo te exponas. Primogenitum ergo iuventutis tuae Deo offerre salage, et fructus huius oblationis in senectute tua cum magno animi tui gaudio colliges. Aliud tandem primogenitum omnino Deo offerendum est, intentio scilicet nostrorum operum, quae merito primogenitum nuncupatur, communi Axiomate philosophorum dicente: *Quod est ultimum in executione, est primum in intentione: adeo opus est intentionem Deo offerri, ut bonitate eius deficiente, pravum necesse sit opus in conspectu Dei prodire.* Unde d. Bernardus (*sup. Cant.*) dixit: *Apud homines cor ex verbis, apud Deum verba ex corde pensantur.* Illi quidem qui bona opera externa cum prava tamen intentione exercent, permittes mihi videntur arundinis, quae extrinsecus pulchrae, intrinsecus vero vento pleneae sunt. Persimiles etiam tormentis bellicis absque pulvere, et igne, quae extrinsecus horrorem ingerunt, intus vero vacua, et infirma sunt, quia ignito pulvere carent. Sed melius Christus Dominus illos vili infructiferae frondibus pleneae assimilavit (*Osae 10*): *Vitis frondosa Israel.* Eosdem etiam Deo comparavit absque ficis, quam quia vidit Dominus fructu carentem, et foliis onustam, maledixit, et continuo aruit. Tandem adeo Deus opera quantumcumque ex obiecto bona, recta tamen intentione destituta, execratur, ut Ieremias dicat (*Thren. 2*): *Reputit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suae.* Offer igitur Deo primogenitum intentionis tuae, alioquin opera tua divinae maledictionis ultionem absque dubio sustinebunt.**

Tertiam rationem iam subiicio. Iussit Deus

primogenita sibi offerri, ut zelotypicum suum amorem ostentaret, quo vult non aliud quam ipsum a nobis amari. Novit Moyses hoc Dei ingenium, cum dixit (*Exod. 34*): *Zelus est nomen eius. Zelus quidem impatiens quidam amor est, qui competitorum amantem non admittit; quod autem iuxta sententiam d. August. (*lib. 13. Conf.*) amor sibi quaedam in rem amatam propensio, et pondus rapiens in illam tanquam in centrum cum quo uniri appetit; hinc est, quod quanto amor ardentior est, tanto vehementius impellit amantem in rem amatam, et consequenter tanto magis curat impedimenta propulsare, quae unio-nem illam prohibere possunt. Haec igitur amoris impatiencia est ipse zelus, quem Cicero (*4. Tusculan.*) vocavit *morbum ortum ex eo quod amans vidit amatum.* Sed melius Salomon (*Prov. 6*) dixit zelum quoddam furoris genus: *Zelus, et furor viri non parcat in die vindictae, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Unde ipse (*Cantic. 8*), hoc ipsum explicans, singulari metaphora inquit: *Dura sicut infernus aemulatio: quia sicut in inferno nemo parcat, sic zelus nemini parcat.* Pausanias de Polizona refert, quod zelotypicus furor correpta cum videret quod Philopoleus vir eius graecam Elenam adhaeret, non dubitavit illum interficere; unde factum est, ut quem hostes in bello vincere non poterant, zelus unius foeminae usque ad infernum superaret. Lacodiae etiam uxor Antiochi regis Syriae hac eadem zelotypici amoris ira percita, curavit, et obtinuit, ut pulchrum foeminae nomine Beranice, simul cum filio quem ex ea rex generat, misera morte interiret. Ex tandem Doriae uxor Lyci Thebarum regis propter levem quandam suspicionem ad collum lauri alligari fecit, quem subiectus ignis tanto impetu abire fecit, ut confestim corpus eius in frustra discerperet. Cum ergo Dei perfectissimus sit amor, necesse est perfectissimum etiam habeat zelotypiam; et inde est quod sollicitam curam gerit, ne alii debitum sibi nostri cordis amorem ulla ratione usurpet. Hac enim ratione, ut primo regum legitimus, idolum Dagonis iuxta arcam testamenti a Philisthaeis collocatum longe a se expulsi, et caput, et pedes praecidit; Ezechias etiam iussit serpentem aneum in minutissimas partes contri, quia iam caeperat Israelitae tanquam Deum illum colere: deinde vero cum primum infantulus Herodis tyrannidem fugiens Aegyptum ingrederetur, idola omnia concidit et comminuit, ut praedixerat Isaias (*c. 19*): *Ingredditur Aegyptum, et commovebuntur simulacra Aegypti a facie eius.* Deinde idem zelus compulsi eundem grandiore factum, ut nihil auctoritatis suae deregari arbitraretur, si accepto flagello tempore prophano longè ab eo expelleret, imples illud Davidis (*Psal. 68*): *Zelus domus tuae comedit me.* Unde sicut comedens convertit in se cibum, ita zelus comedit Christum, et in se illum convertit, ut iam non solum zelotes, sed zelus ipse esset. Atque hoc facit quod narrat d. Augustinus (*lib. 1. c. 12. de cons. Evangel.*), quod iametsi Romani liberales, ac munifices se exhibuerint in ex-*

struendis, ac sacrandis templis, quibuscumque Diis ad eorum notitiam venirent, Deo tamen Israel, iacet alioquin Israelitis imperio suo subjugant, nullum templum sacrament; scientes adeo zelotem esse, ut nullum alium Deum secum adorari pateretur, atque adeo si aliquid in eius honorem templum erigendum esset, necessarium foret omnia alii diis dicata phana solo aequari, ac penitus everti. Hic igitur zelotypicus amor, qui in divino corde mirifice ardet, illum compulsi ad legem condendam de primogenitis sibi offerendis, ac in templo sacrandis; quia semper filii primogeniti ardentius a parentibus amantur, et quantum amoris eis impenditur, tantumdem Deo auferunt. Amabat Heli filios suos plusquam oportere, diligebat inordinate David Absalonem, necnon primogenitum quem ex Bersabee genuerat, et ideo Deus zelotypico amore concitatus, illos de medio substulit. Ac tandem, ut id obiter dicam, crediderim frequenter Deum multis temporalibus bonis homines privare, ut uxore, filiis, fratribus, amicis, pecunia, et aliis similibus, quia excessivo amore in illa feruntur, quem zelotypicus Dei amor secum nulla ratione admittit: imo quod mirabilis esset, zelotypiam habens humanitatis Christi, cui eius discipuli vehementer adhaerebant, de medio eam abstulit in die ascensionis, ut puriorum ac defaecatiorum eorum amorem redderet, dum in deitatis dilectione ardentius, quam in humanitatis amore se exercent, prout revera per adventum Spiritus sancti factitauerunt.

Quarta ratio sit, ex propter voluisse Deum, ut ex omnibus filijs solum primogeniti sibi in templo sacrentur, quia hi solent deterioribus evadere, et pravus moribus ex nimia parentum licentia frequentius imbuti. Testis huius veritatis est Cain primogenitus Adami, qui innocenter fratrem suum Abel immaniter occidit. Testis Israelum Abrahami primogenitus, qui fratrem suum Isaac idola colere docebat; hic enim erat ludus quocum illo iocabatur, ut Interpreter communiter adnotat. Testis est Esau primogenitus patris sui, quem tamen constat propter eius scelera reprobatum esse, et ab utroque regno exclusum a Deo: *Esau odio habuit.* Testis Ruben primogenitus Iacob, scelestus adeo et discolor, ut pater eius maledictionem ei inferre cogerelet. Testis Absalon, filius maior Davidis, qui patri inobediens ac rebellis machinatus est regnum ei eripere, et ex quoeruo tandem pendens, tribus lanceis confossus interit. Videns igitur Deus filios maiores ut in plurimum fieri nequiores, ideoque ut meliores redderent, voluit divina eius lege id praecipiente, in templo sibi sacriari, ac divinis obsequiis mancipari. Ultimam rationem adnecto.

Voluit Deus in lege veteri primogenitos sibi offerri, ut in lege gratiae fideles discerent, decimas, et primitias sibi consecrare ad ministrorum divini cultus alendos. Istarum oblationum ratio adeo consona est, ut apud ethnicos solo Iumine rationis illustratos decimas Deo solvendi mos vigerit. Narrant enim Plinius (*lib. 12. c. 20*), et Solinus (*c. de Ethyopia*), quod collecto cinnamomo sacerdos cum hasta ad hoc conse-



re, in qua postea nos redempturus erat, dolens quod adversus nos erat *chirographum decreti*, quod erat *contrarium nobis*? Hae igitur sollemni scriptura, et contractu emptionis tot festinonibus constabilis, versus Isaac a Patris gladio liber evadit, Passer solitus in sacrificio leprosi offerri evolat, Hircus emissarius per desertum libertate donatus abire permittitur, ac tandem vinculus Ioseph liber et carcere egreditur. O mirabilem scripturam! o salutarem contractum! o fructiferam et inauditam emptionem! Magna certe illa emptio, quam proclamat Apostolus (1. Corinth. 6): *Empti enim estis pretio magno*; sed audeo dicere ista quodammodo maior est, quia non mundus, sed Dominus, et Creator mundi, non magno, sed exiguo pretio comparatur. O bone Iesu, iam nosler es duplici iure: te nobis Pater dedit, te nobis Mater emit: noster es, quia datus; noster es, quia emptus: duplici te iure possidemus. Cum iudicaturus orbem advenis, memento quia nobis emptus es; iustus es Domine, redde unicuique quod suum est; redde te ipsum nobis, quia duplici, ut dixi, titulo noster es. Quod si tu noster es, omnia quae tua nostra sunt: cuius enim est persona, eiusdem et bona omnia illius sunt: nostra igitur sunt merita tua, nostra vulnera tua, nostri vagitus infantis, nostri labores docentis, nostri dolores morientis. O me divitem, et felicem tanti meritis. Exaggera nunc crimina, agrava peccata, repete ad integrum debita, maiora sunt merita mea, maior est satisfactio mea, maiora sunt obsequia mea: mea, inquam, non mea, quae ego feci, sed mea quae a te facta suscepi. O magnum, et mirabile sacramentum! o mirum sapientiae Dei consilium! lex pro omnibus primogenitus fertur, sed in uno solo intento legis impletur. Statutum erat inviolabili decreto, ut omnis primogenitus venderetur, ut cum ille Virginis primogenitus nasceretur, ipse quoque a matre emeretur, non sibi soli, sed mundo, et per hanc eius emptionem in omnia illius opera mundus actionem sortiretur. Sed ut hoc iure gaudeamus, oportet, ut unusquisque nostrum primogenitum Virginis emit. Nec enim quisquam, quantumcumque pauper, excensaris fas est hac emptione: nam licet res emenda sit thesaurus infiniti valoris, non iam quinque siclis, sed unico suspirio, unica poenitentiae lacrymula, unico cordis gemitu illum emere poteris: quia, ut recte dixit divus Augustinus (de verb. Dom.): *Tantum valet, quantum habes: si multum habes, multum valet; si parum, hoc da, et possidebis illum*. Non enim ingenium Dei est instar mercatorum huius saeculi, a quibus si pauper velit emere, tantum oportet tribui, quantum dives, sed liberaliter erga omnes se exhibens, sicut divitis pretium magnum suscipit, illa pauperis exiguum non respuit. Petrus, et Paulus, Laurentius, et Vincentius, et reliqui inelyti martyres sanguinis pretium obtulerunt, velula autem templi non nisi duo villas minuta: Publicanus (Marci 12): *Deus propitius esto mihi peccatori*: Latro (Luc. 18): *Memento mei Domine?* et ante illos David (Psal. 50): *Tibi soli peccavi*. Ecce quam discrepantia pretia isti obtulerunt, illi sangu-

nem, hi lacrymas effuderunt, et tamen primogenitum Virginis obtinuerunt. Exlat huius rei egregia apud Exodum (cap. 25) figura adamassim id adumbrans: nam dum fabricaretur templum, ne quispiam se excusare possit a munere aliquo ad eius erectionem offerendo, omnes voluit non amplius donare, quam iuxta utriusque facultatem. Unde postquam pro divitibus nominaverat *aurum, argentum, aes, hyacinthum, purpuram, coccum his tinctum, et byssum*; continuo subiicit alia vilissima, ut, *pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, et ligna setim, et oleum ad luminaria concinnanda*. Ecce quomodo in figura docuit Dominus, tam divitem, quam pauperem, hoc est, tam impotentem, quam proficientem, aut perfectum virum posse hunc thesaurum emere. Unde qui non potest ei offerre virginitalis pretium, quia iacturam eius fecit, offerat castitatem; qui caelibatum non habet offerre, offerat matrimonii thorsum immaculatum; et qui non tanta viget mansuetudine, ut una maxilla eius percussa, confestim aliam percutiendam praebet, iniuriam saltem sibi illatam condonet, et qui tandem non potest aurum, argentum, et purpuram, tam inanimato, quam animato Dei templo offerre, offerat pilos caprarum, offerat assem, aut calicem aquae frigidae, hoc enim pretio, et si quod est vilis, Deus a paupere emittitur. At beatissima Virgo tanquam bonis spiritualibus, ac divinis charismatibus locupletissima, non ita exiguo pretio emit sicut nos, sed magno, et cariori; nam cum sanctus Simeon in memoriam ei revocavit Christi Domini mortem: *Ecce positus est hic in ruinam etiam et tuam ipsius animam pertransibit gladius*; omnia passionis Christi instrumenta acerbè illius cor excruciatæ caeperunt, funes comprehensionis illam constrinxerunt, flagella exulcerarunt, spinae transfixerunt, clavi perforarunt, fel et acetum amaricarunt, ac tandem quinque cruenta Christi vulnera totidem in corde eius inflixerunt, ut iam beata Virgo non tantum quinque siclis, sed quinque acerbissimis plagis, aliisque gravissimis doloribus illum suum nobis emisse merito censenda sit.

Porro iam ad turtures, et columbas, quorum meminit sacer Evangelista, orationem convertens, quo antequam ad allegoricum sensum accedam, prius examinare censui.

Primum est, an turtures, vel columbae oblatæ a b. Virgine, haberent veram naturam columbarum, vel turturum, an speciem, et apparentiam tantum? Hoc enim secundum persuasit sibi Origenes (hom. 14. in Luc.) dicens: *Novum quid forsitan videat inferre, sed pro maiestate rei parum dignum: sicut nova fuit generatio Saluatoris, non ex viro, et muliere, sed ex sola tantum virgine; sic et par turturum, et duo pulli columbarum, non fuerunt tales, quales oculis carnis aspiciunt, sed quales Spiritus sanctus in specie columbae descendit, et venit super Salvatorem, quando in Iordane fuit baptizatus; tale fuit et par turturum. Non erant volucres isaac, ut illae, quae per aerem volitant, sed divinum quiddam, et humana contemplatione augustius, quod sub specie columbae, et turturis apparebat, ut non talibus victimis, quibus*

omnes homines, ille, qui pro toto mundo nascebatur, et pati debebat, coram Domino mundaretur. Sed ut dispensatio eius nova omnia; ita etiam novas habere hostias secundum voluntatem omnipotentis Dei; haec tenens Origenes, qui putat, quod quemadmodum sacra Scriptura simpliciter, et absolute ait tres viros apparuisse Abraham, et super Christum in Iordane descendisse columbam, et in die Pentecostes ignem sedisse super capita Apostolorum, et tamen ista omnia re ipsa non erant secundum naturam suam talia, qualia apparebant, ut de viris in apparitione Abraham, et de igne in die Pentecostes unanimes est omnium Interpretum sententia. De columba vero tota fere Patrum antiquitas docet non habuisse veram columbae naturam, sed speciem tantum. Ita docuere divus Augustinus (epist. 102. et lib. 3. de mirab. Script. c. 5. et lib. 2. de Trinit. c. 5), d. Ambrosius (lib. 1. de sacr. c. 5), s. Gregorius Nazianzenus (orat. 39. s. Chrysostomus (sup. c. 3. Math.), d. Thomas (in 1. dist. 16. a. 3. q. unic.), Oplatus Milevitanus (lib. 4. cont. Parmenianum), Theophylactus (super cap. 3. Math.), Euthymius (ibid.), Lyranus (supra c. 1. Mar.), Glossa ordinaria (in Matth. 3), Abulensis (q. 48. et 84. in c. 3), Caietanus (ibid.), Iansenius (ibid.), et Procopius (super Genes. 18). Unde Franciscus Suarez (3. par. q. 36. art. 4) horum Patrum sententiae adhaerens inquit: *Omnes aeternae apparitiones, quae ministerio angelorum in corporibus assumptae factae sunt, ita explicantur, ut res non sint verae, quae apparent, nisi fortasse quando res apparentes sunt ita simplices, ut imperfectae, ut non possint facilius representari, quam feri, ut nubes, et aliae res huiusmodi; non vero res aliae perfectae, ac viventes*. Ita putat Origenes, turtures, et columbas, quas Virgo obtulit, non veras, sed apparentes fuisse: maxime quia cum Virgo exempta esset ab ea lege, quae impleret ad vitandum scandalum in nescientibus mysterium, certe impletioni legis ob hunc finem sufficienter satisfaciebat offerendo turtures, et columbas apparentes. Ceterum cardinalis Toletus Originis sententiam labefactans ait: *Volucres non esse communes, quales pro aliis offerri consueverant, videtur fundamentum nulla auctoritate, aut ratione fundatum. Qui enim legem impleri voluit, ea quae secundum legem erant, offerri decrevit. Cum ergo beata Virgo offerret hostiam turturum, aut columbarum, prout praescribatur in lege, ut expressis verbis tradit d. Lucas (c. 2): *Ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum*; per legem autem evidens sit iuberi offerri veros turtures, et veras columbas, et non phantasticas: consequens est illas, et non has obtulisse beatam Virginem. Unde idem Franciscus Suarez (praec. loc.) dixit: *De fide certum est, aves illas fuisse veras, quales ab aliis offerri solebant. Nec est eadem ratio de his volucris, et de exemplis supra relatis in favorem Originis, quia in illis per solam apparentiam salvatur veritas textus; secus autem in praesenti facto, ubi non potest verificari beatam Virginem implevisse legem de offerendis veris turturibus, et columbis. Illud deinde,**

CARTHAGENA de B. M. V. — Vol. II.

quod ibidem ait Origenes, beatam Virginem hostiam obtulisse in turturibus, et pullis columbarum simul, quod et docuit Richardus, nec non d. Ambrosius relatus a Glossa ordinaria (super cap. 2. Lucae), mihi plane videtur pugnare cum verbis divi Lucae, qui non copulative, sed disjunctive ait obtulisse *par turturum, aut duos pullos columbarum*; unde eius generis ex his duobus fuerint volucres, quas Virgo obtulit, incertum omnino nobis reliquit. Verosimile tamen est, ut asserunt Pomerius (lib. 3. de b. Virg. p. 1. art. 2), et Maldonatus (in c. 2. Lucae), obtulisse pullos columbarum, tum quia usitatum magis erat columbas offerre in templo: qui enim ex illo electi fuerunt a Christo Domino non fuerunt rephensi, quia turtures, et quia columbas vendebant, ut ait Matthaeus (c. 21): tum quia faciliori pretio a pauperibus columbae emi poterant; Virgo autem ob eximiam etiam paupertatem non obtulit agnum, ut Levitici lege praescribatur: *Deferet agnum anniculum in holocaustum*. Unde scilicet cardinalis Toletus (su. c. 1. Luc.) ait: *Notanda est magna, et vera paupertas Christi, et parentum, quae tanta erat, ut agnum Deo ipsi offerre non poterint, et verba legis in eis sint verificata, nempe: *Si non inveniit manus eius, nec poterit offerre agnum, sumet duos turtures, aut duos pullos columbarum*. Idipsum dixerat prius Aymon (homil. 2. de Purific.) in haec verba: *Tandem paupertatis fuerunt parentes Domini, idest, beatus Ioseph, et beata Maria, ut in oblationem Domini non habuissent agnum, quem offerrent, sed sicut scriptum est, obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum*. Illud autem, quod quibusdam difficultatem ingerit, quia ratione cum paucis ante diebus beata Virgo suscepisset munera auri, thuris, et myrrhae a tribus regibus Christo oblata, non obtulit agnum? quod ex multiplici capite facile evanescit: tum quod cum munera illa divinitus fuissent ad mysticam significationem ordinata, non oportuit fuisse in magna quantitate, ut vulgus putat. Nec obstat, quod sacer Evangelista dicat, *Apertis thesauris obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham*: quia aliud est dicere, apertis thesauris, et aliud donatis: ex thesauris enim apertis poluerunt extrahere exiguum singulorum munera quantum ad significandum Christum Dominum Deum, et hominem, et regem esse: tum etiam quia licet illa fuissent magni momenti munera, iam beata Virgo aliquo liberalissima, et magnificentissima in pauperum, et egenorum usus illa converterat, ut docet d. Bonaventura (libro de vita Christ. cap. 9). Vel certe ad singularem usum prudentiam referri potest, quod in vaticum pro protectione in Aegyptum, quod ipsa praecognoverat, illa servavit. Vel certe ad summam eius modestiam pertinebat non offerre agnum; nec enim decebat, ut mulier, quae pauper erat, divitem repente in templum oblationem inferret, et prout paupertatis statum quem amabat, mutaret. Verum enim vero licet pauperima esset Virgo, bonis tamen coelestibus ditissima. Agnum immaculatum, cuius sanguine redempti sumus, et de quo fas erat illi dicere (Joan. 1): *Ecce Agnus Dei, ecce qui**

tolit peccata mundi, aeterno Patri obtulit, Agnum, inquam, non anniculum, immo nec bimesrem, sed quadraginta dies habentem a temporali orio suo, simul lamen antiquum adeo, ut egressus eius a Patre a diebus aeternalis computetur.

Quare autem, cum sacer evangelista Lucas, qui a beata Virgine facile discere poterat, an turtures, aut columbas obtulisset, incertus de hoc nos voluit relinquere, sub disjunctione dicens, quod alterum istorum obtulit? difficile est rationem literalem invenire. Solum reperio venerabilem Bedam (lib. 1. in Luc.) mysticam hanc assignantem: *Columba, quae aggregat animat est, turtur vero solitariam, etiam communitatis, et solitudinis, seu solitariam denotat: et quia utraque conditori accepta est hostia, consulto Lucas utrum turtures, aut pulli columbarum pro Domino sint oblati, non dicit, ne unum alteri vitendi ordinem praeferret, sed utrumque sequendum, utrumque divinis cultibus doceret offerendum. Cur denique, ut sacer textus dicit, h. Virgo obtulerit duos pullos columbarum, et non columbas, aut pullos turturum, et non turtures? Divus Bernardus (serm. 59. in Cant.) hanc putat fuisse causam, quod cum per columbam Spiritus sanctus designari soleat, quia tamen libidinosus est avis, non decuerit, nisi ea aetate, qua libidinem nescit, offerri pro Domino; turtures autem, non pullos turturum obtulisse, quod turtur casta quaecumque aetate sit.*

His igitur iam praelibatis quae literaliter sensui inserviunt, ad mysticum nos convertamus. In quo genere argumenti locupletando diligenter adeo reperio se exhibuisse antiquos Ecclesiae Patres, ut si eorum testimonia in medium proderimus, utpote spiritu, et doctrina uberima, pauca deinde ex nobis supersint effundenda. In primis antiquissimus Origenes, aliorum Patrum magister (hom. 14. in Luc.) dixit: *Turturum par, et duos pullos columbarum pro Salvatore videmus oblatos. Ergo, et aves istas beatas puto, quae pro ortu Domini oblatas sunt. Et quomodo asinam Balaam miror, et felicitate accumulo, quia digna fuerit non solum videre angelum Dei, sed etiam ore reserato in humanum sermonem erumpere; sic multo amplius has volucres praedico, casque substolito, quod pro Domino nostro, et Salvatore oblatas sunt, ut offerret pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum; haec enim ille. Divus autem Gregorius (sup. cap. 4. Ezechiel. hom. 7. Levit. 1. et 5) explicans sacrificium turturis quod lib. Levitici legitur, hanc egregiam illius explicationem in haec verba adhibet: *Nos enim ipsi in omnipotentis Dei sacrificium esse turtur debemus, ita ut caput nostrum retorquetur ad penulas, id est, animus ad virtutes. Non enim immerito per caput mentem intelligimus, quia sicut caput corpus, ita mens actiones regit; sed caput ad penulas retorqueri praecipitur, ut ea, quae dicitis, facias, et os ad opera coniungas; nec ita caput abscondendum est, ut a corpore dividatur, sed ex parte deciduum corpori suo iubetur inhaerere; quia videlicet mens nostra a carnali delectatione incidenda est, sed a carnis cura necessaria incidenda non est; hinc enim scriptum est:**

*Carnis curam ne feceritis in desideris: quae ergo in desideris fieri prohibetur, proculdubio in necessitate conceditur. Caput ergo turturis ex parte abscessum est, et ex parte inhaeret, ut sicut dictum est, et a voluptate carnis mens nostra incisa sit, et tamen a necessitate non sit abscessa.*

Aliam etiam eiusdem explicationem adducit idem sanctus Gregorius (super 5. caput Iob), autem salis, et ingeniosam: *Per legem, inquit, turtur, vel columbae, in figura nostri sacrificii, secari guttur praecipitur, et non penitus abscondi, ut et post mortem corpori caput inhaereat, quia videlicet mediator Dei, et hominum, id est, caput omnium nostrorum, et verae mundationis hostia est. Unde pro nobis mortem pertulit, inde nobis verus inhaeret. Post fractionem ergo caput turturis suo corpori inhaeret, quia Christum ab Ecclesia nec mors interueniens dividit. Persecutores igitur peregerunt hoc, quod perniciose moliti sunt; intulerunt mortem, ut ab eo abscederent fideiium devotionem; sed inde fides crevit, unde hanc se extinguere infidelium crudelitas credidit: cumque se aestimant eius miracula persequendo abscondere, haec nimirum compulsi sunt nesciendo dilatare. Comprehendit ergo Dominus sapientes in astutia eorum, quando et hoc ad pietatis suae obsequium redigit, quod contra illum humana crudelitas carceris; haec enim divus Gregorius. Eusebius vero modum oblationis illius exponens haec scribit: *Iubetur sacerdos, qui ea offert, turturis, et columbae caput, et collum retorquere. Debet autem vesticulam gutturis, et plumam ad orientalem plagam proicere. Debet propterea earum ascellas contingere, et non penitus secare, nec ferro eas dividere debet: tunc enim sacerdos turturis, et columbae caput ad collum torquet, quando illum, qui per has aves significatur, docet, et admonet, ut iam non erecta cerice, sed humiliato capite incedere discat: sicut enim in erecta cerice superbia, ita et in capite inclinato humilitas manifestatur. Sed quid per vesticulam gutturis, ubi aves reponunt, unde vivunt, nisi ventris ingluvies designatur? quid vero per plumas, nisi levitas morum, et mentis elatio significatur? Haec autem homini proicere, et a se repellere bonum est. Sed ubi proicere, nisi ad orientalem plagam? semper enim ab ortu ad occasum tendimus, semper orientem fugimus, et ad occasum propinquamus: est enim occasus finis vitae. Quaecumque igitur ad occasum nobiscum non ducimus, ea iam a nobis proicientes post dorsum relinquimus. Quibus denique ieiunium, et abstinentiam indicimus, eis proculdubio gutturis vesticulam tollimus; quibus vero omnem vagandi licentiam interdicens, eis utique ascellas frangimus, et ut nobiscum maneat, et ad inutilia volare desistant; haec ille.**

Sed iam accipe egregiam aliam d. Ambrosii (serm. de purificat.) mysticam turturis, et columbae expositionem, dum ait: *Non sine causa sacrificium, quod pro Domino mystice oblatum perhibetur, ex turturibus, et columbis fuisse narrat. In turture enim castitas invenitur, et in columba charitas commendatur. Turtur namque inteneralam servat unum viro fidem, columba vero altarum cohabitatum non deserit*

nitatem. Catholicus igitur christianus tunc vere spiritus turtur efficitur, si eorum Trinitatis fidem firma credulitate conserret, et haereticæ pravitas sensum tanquam fornicationis iniquitatem repudiet. Tunc vere erit columba, si loquaciter usque ad finem in catholica societate immobili firmitate persistat, ut nec haereticæ fornicationi corruptat in corde fidei castitatem, nec amara dissensio ecclesiasticæ castitatis disperdat unitatem; haec d. Ambrosius. Aliam tamen viam ingressus venerabilis Beda (lib. 1. in Luc.) in hunc modum de columba, et turture philosophatur, ubi ait: *Columbam pro peccato offert, qui laborat in gemitu suo; latet per singulas noctes lectum suum, hoc est, per singulas pulsantis culpae tenebras opera sua bona, in quibus requiescere debet, lacrymis abluere non cessat. Columbarum pullos in holocaustum offerunt, qui patriæ coelestis absentiam deflent, aiunt: Super flumina Babylonis illic sedimus, dum recordemur tui Sion. Sicut enim columba super fluenta residere delectatur, ut accipitris adentem ex umbra super aquas cognitum praevideri simul, et eodere queant; sic profecto animae pauperum spiritu fluctus saeculi mente transcendentes, quo plura in hac Babylone, qua suis gemitibus pascentur, maligni hostis exempla conspiciunt, eo crebriores ad aeternam sui desiderii penam sustollunt. Hoc sane inter turturis, et columbae significantium distat, quod columba, quae gregatim conversari, volare, genere consuevit, activae vitae frequentiam demonstrat, de qua dicitur: Multitudinis autem credentium erat cor, et anima una; nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia; turtur vero, qui singularitate gaudet adeo, ut si contigens casu perdidit, solus exinde permanet, speculativae vitae culmina denunciat; et paucorum sunt ista virtus, et his sigillatim attributa. Solus Isaias Dominum exercituum videt, laudes seraphim contemplantur; et quia male tacerat, quasi turtur singularis ingemit. Moyses, pascente procul populo, solus ascendit ad Dominum; et ne idem populus feriat, lacrymosis precibus impetrat. Solus fugientibus sociis Daniel inter angulos remanet. Solus Ezechiel quadrigas cherubim, et supernae civitatis celsa aedificia miratur. Solus Paulus ad delicias paradisi, et videnda coeli tertii secreta raptatur. Item cum intrans cubiculum clauso ostio oro Patrem in abscondito, turturum offero; at cum eiusdem operis compares quaero, canendo cum propheta, Venite, adoremus, et prociadamus ante Deum, pluremus coram Domino, qui fecit nos, columbas ad altare deporti; et quia utraque conditori accepta est aequae hostia, consulto Lucas utrum turtures, an pulli columbarum pro Domino sint oblati, non dicit, ne unum alteri vitendi ordinem praeferret, sed utrumque sequendum, utrumque divinis cultibus doceret offerendum.*

Sed videamus, si placet, quid noster sanctus Bonaventura (in commentario huius loci) dicat: *Quantum ad significationem, ait, oblationis, nota, quod oblatio indeterminate intelligitur de turture, et columba: utraque enim avis gemitum habet pro cantu, sed gemitus turturis compelit*

contemplativis, et hic geminatur, unde dicitur, par turturum. Primus est amoris: Nos ipsi primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos gemitus, adoptionem florum Deo expectantes redemptionem corporis nostri. Secundus est dejectionis, nam quid oramus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus etc. vox turturis auditus est in terra nostra. Gemitus autem columbae compelit activis, et hic etiam est duplex. Unus pro peccatis propriis: Afflicti, et humilitatis sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei: Isaias: Rugiebam quasi ursi omnes, et quasi columbae mediantes generum. Secundus gemitus est pro peccatis alienis: Omnes portae eius destructae, sacerdotes eius omnes, Virgines eius spualidae, et ipsa oppressa amaritudinis: Nalum: Miles captivus adductus est, et ancillae eius manabantur gementes, ut columbae murmurantes in cordibus suis; haec tunc divus Bonaventura.

Audiamus nunc d. Chrysost. (tom. 3. hom. de virt.) sic de turture loquentem modo audituri de columba disserentem ipsum: *Turtur amaritudo eremi, quando in desertis degit locis, delectabilibus blandimentis accersit comparem, vocis suae concellia penetrans, et suum nascentem in amana, et nemorosa pascentem convocat. Et hinc acrolare provocans hortatur ascensionem sui ceterum facere. Unanimi autem mente ad incultum, et praeruptum rupium cubile fundantes, exinde suos sine timore colare provocant pullos. Asseverant quidam, turturum castam, et amaritum comparari esse, ita ut si quando evenierit, eius masculum ab aquila, sive aucupe capi, non se committere alteri, sed ipsum cupere, et ipsius praestolari adentem, et in amore eius expectatione pendere. Idcirco audit mulieres, quae castitas in volucris castitatem: Quotcumque igitur figuram turturis in vestra mente portatis, laetus sobriae imitamine castitatem: talis etiam est omnis casta Ecclesia, circum quippe eius crucifixa, et in coelis ad dexteram Patris sedente, alteri viro non commiscetur, sed ipsum desiderat, ipsum expectat, et desiderio eius commori cupit. De columba autem idem s. Chrysostomus explicans verba illa: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices, sicut columbae, dixit: Nolo vos esse semper quasi columbas, ne propter simplicitatem nimiam per seductionem laqueum incurraatis. Nolo vos esse semper sicut serpentes, ne ex corde contra aliquem venena fundatis, sed secundum tempus, et personas mutetis et mores. Estote serpentes, ne comprehendamini: si enim comprehens fueritis, estote columbae ut ne mordetis. Quanto enim homo gentilis est, serpens in illo est, quoniam indignatio illius secundum similitudinem est illius serpentis, qui in paradiso hominem a Deo separavit; cum vero convertitur ad fidem, recedente serpente, ingreditur in illum spiritus, qui in specie columbae descendit de coelo, et fit columba: ergo contra infideles estote serpentes, quia serpens serpenti non nocet; cum fidelibus autem estote columbae, ut quasi columbae columbis charitatis oscula porrigatis. Et breviter dicam: estote prudentes, sicut serpentes, ut malum intelligatis, et caveatis; et estote simplices sicut columbae, ut non faciatis ullum malum, quia intelligere**



3. in Cant.) non paucas columbae proprietates Virgini accomodat. Est enim, inquit, sine fele, nihil rivum comedit, pullos alienos nutrit, candidiora grana legit, in petris nidificat, geminum pro cantu habet, libenter iuxta fluentia residet, ut venientem accipitum ex umbra præcognitum perniciter accipiat. Sic beatam Virginem docet nihil unquam habuisse invidiae, nihil odii, longe semper ab iis abfuisse, de quibus dictum est, quod devorant plebem, sicut eam panis. Nos, qui secundum carnem alieni eramus a sanguine Israel, meritis eius vivimus. Illa creditum sibi secretum Dei, et testimonia Scripturarum conferens in corde suo conservavit; illa in solitudine fidei permanens, serpentis antiqui venena exavit, per cunctis mortaliibus anore Dei vulnerata gemere non cessavit, illius pectori omne fumentum Scripturarum plano contiguum fuit; nec unquam adventus spiritalis accipitris eam preoccupavit, aut ei potuit oppropinquare.

Tandem, ut ad informandos mores non nihil de turture, et columba dicam, unanimis est Aristotelis, Plinii, et reliquorum de rebus naturalibus agentium sententia, turturum post amissum suum consortem semper gemere, et consolationem, quam reliquæ volucres capiunt in viridibus arboribus sistentes, omnino respicere. Unde divus Bernardus (serm. 59. in Cant.) ait: *Videas ubique singularem, gementem ubique audias, nec unquam in viridi ramo residentem prospectis.* Non secus anima, quæ per lethale peccatum sponsum amisit, hoc est, Deum ipsum, cuius ipsa facta fuerat consors, ut loquitur divus Petrus, perpetuis gemitibus illum diligenter quaerere, et ab omni humano solatio, donec illum inveniat, se abstinere debet. Unde divus Gregorius (in c. 1. Cant.) exponens verba illa: *Pulchrae sunt genae tuae sicut turturis*, dixit: *Turtur postquam parem suum perdidit semel, nunquam alteri se iungit, sed semper solitarie habitans in gemitu perseverat, quia quem diligebat, non inveniens quaerit. Sic sancta quoque anima dum ab sponso suo absens est, ab eius amore non recedit, sed in eius desiderium semper anhelat, et gemit; et dum illum, quem valde diligit non invenit, quia ab omni alieno amore retrahit, quasi in generum veredum castitatem cordis ipso habitu, et actu ceteriorum ostendit. Earundem proprietatum memor Aymon de purificatione agens dixit: Egre-gium poenitentibus exemplum præbeas; amisti non contemnes, sed summum bonum Deum, signa summi moeroris exhibe, impiorum hominum, qui te in peccatum revocare possunt, consortia desere, solus peccata amaro corde volce, voluptates fuge, frondentibus inanis lætitiæ ramis ne inside. Nec gemere aerea cessabit turtur ab ulmo, dicit poeta, nec gemere ex animo cesset peccator amaro. Hinc Ambrosius ad Lapsam (cap. 8.) scribens ait: In primis omnis cura vitæ huius intermenda tibi est, et quasi mortuum te existimans, sicut es, quonodo possis reviviscere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, et mens, ac membra singula digna castigatione puniendi. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt, defuant oculis lacrymæ, qui musculum*

non simpliciter aspererunt; pallescat facies, quæ quondam virum impudice. Denique totum corpus iniuriis, et iciniis macerare, cinere aspersum, et opertum ciliis perhorrescat, a Deo miles sibi de pulchritudine placuit, a Deo illi parcat. Grandi plagæ alla, et prolifica opus est medicina; grande scelus, grandem habet necessariam satisfactionem.

Verum, qui ad Deum ex toto corde convertitur, non solum turturis, sed columbae naturam induere debet; cuius tanta est fecunditas, ut per totum annum singulis mensibus ova producat, foveat, super illa incubat, pullos in lucem edat, diligenterque enutrit. Hæc fecunditate vigeat d. Paulus cum dicebat (1. Cor. 15.): *Gratia Dei in me vocata non fuit, id est, nunquam fuit otiosa, sed semper operibus vacabat.* Videtur divus Paulus gratiam considerasse instar sigilli: nam sicut sigillum, dum non imprimitur molli hostiæ, vel ceræ, ut in illis suam imaginem exprimat, otiosum manet, et vacuum, quia dum sigilli munere non utitur, eius concavitas non implentur; ita dum divina gratia bona opera non sigillat, ab exercitio bonorum operum cessans, vacua manet et otiosa. Unde sicut natura vacuum in rebus naturalibus; ita et Christus spirituale vacuum maxime abhorret. Et ideo Apostolus nos illud diligenter vitare monens, ait (2. Corinth. 6.): *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Ille certe in vacuum gratiam Dei non recipit, qui divinæ gratiæ auxiliis ita bene utitur, ut a procreandis bonorum operum factibus instar foecundæ columbae nunquam cesset. Hinc intelligetis causam, ob quam, ut refert divus Mattheus, Christus Dominus maledixit figi non ferenti fructum, cum tamen non videretur ob id tunc maledicenda, quia ut advertit sacer Evangelista (Marc. 2): *Non erat tempus scorum; id enim iuxta computum, quod ex evangelistis colligitur, die undecima martii contigit; illo autem tempore ficus non solum fructum, sed nec folia producit.*

Divus Hieronymus (in commentario illius loci) consulto id fecisse Dominum ait, ut significaret, illud debere interesse discrimen inter humanam plantam, et reliquas, quæ in hortis consistant sunt, quod licet istæ aestatis temporibus fructus ferant; illa tamen hybernæ temporis nescia in omni tempore bonorum operum fructus parere debet, cum divina irrigatio, et coelestis auxilii influenza in eo deficiat. Sicut autem columbae foecunditas in eo valde elucet, ut non unum, sed binos factus semper producat; ita in Ecclesia sua vult Deus adesse virus adeo foecundus, ut non solum sibi, sed et aliis utiles se exhibeat, ut sub egregia metaphora divinus Sponsus explicavit, dum catholicam Ecclesiam dilectam eius sponsum alloquens dixit: *Dentes tui sicut greges tonsurarum, quæ ascendant de laceris; omnes gemellis factibus: sacri verbi præcones, et catholice doctrinæ vocat dentes, quia sicut munus istorum est cibum corporalem contendere ad refectionem corporis naturalis; illi istorum munus est, spirituales evangelicæ doctrinæ cibum ad nutriendum mysticum Christi corpus masticare, et præparare.*

Hos ergo vult Deus non esse steriles, sed foecundos ita, ut gemellos pariant factus, hoc est, ut attendentes sibi, et doctrinæ, ut idem Apostolus dixit, non solum in se ipsis Christum concipiant, sed eundem in auditorum cordibus pariunt: et ut alter Iacob ad fratrem suum maiorem, hoc est, ad Christum cum magno incremento gregis sibi commissi feliciter revertantur. Cui sit honor, et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA XII.

De festo quod vocant Luminarium, seu candelarum, ex professo sermonem institimus, tria hæc peragentes: primum, hæreticorum petulantiam adversus luminarium usum garrientium retundimus; secundum, antiquitatem huius celebritatis aperimus; tertium varias, tam literales, quam mysticas institutionis illius causas multiplici sanctorum Patrum doctrina illustramus.

Impudentissimi, quos pudet nominare, hæretici Novatores, qui se germanos Lutheri filios, Uvicleff discipulos, Uvaldensiumque fratres gloriantur, nec non etiam infestissimi Ecclesiae hostes, Arsatius Schorfer, Bullingerus, et Nicolaus Selreccus, Brentius et Spangenbergius, quorum animas inferni ignis depascit, stupendam Papistarum coelestem appellat, sacrum luminarium et candelarum ritum, quo frequenter, et præcipue hodierna die sancta mater Ecclesia utitur: unde Arsatius (in Postil. sup. evang. purif.) dixit: *Valde inepti sunt, qui ceres, nimirum caducis rebus præter verbum Dei excogitatis confidunt, quasi his satanas fugetur.* Nicolaus etiam Selreccus in hunc modum sacrilego ausu loquutus est: *De superstitionibus consecrationibus candelarum, et ceræ nihil ne somniavit quidem Ecclesia; et blasphemia eius adiratioque adhibetur: ac tandem maledicus Brentius (hom. 2. in Lucam) hæc effatur non erubuit: Habent quidem lumina verbum Domini, quod sint bonæ creaturæ, et in usum nostrum civilem sanctificate; sed non habent verbum Dei quod expellant satanam; im-mo potius sic de ipsis sentiendum est, quod ab-ibentes eis impia superstitione advocant magis quam expellant satanam.* Verum hæc istorum hæreticorum impiam assertionem infringere hæc difficile erit: nam in primis cerorum, et luminarium religiosa consuetudo auctorem habet ipsum Deum, ut sapienter observavit d. Hieronymus (cont. Vig. c. 25); inter alia quæ Deus præcipit (Ec. 15) Israelitis sibi offerri in templo, unum erat oleum ad luminaria concinnanda: et (cap. 27) filii Israel, ut afferrent oleum, ut arderet lucerna semper in tabernaculo testimonio: et (1. Machab.) sacer textus narrat Iudam Machabæum solemni facularum pompa, et lucernarum, vetus, quod antea erat templum ab Anthioco idolis dicatum,

vero Deo consecrassæ; unde ortum habuit ut celebritas illa, instar presentis, festum luminarium nuncuparetur. Deinde inveteratus Ecclesiae mos, quæ acholytus, seu ceroferosus adhibet ad sacra peragenda, specialis quoque ordo est ad institutus, aperte id execrantes ordo dant.

Item s. Patres apertissime illis refragantur: nam d. Cyrillus Ierosolymus, hoc ipso die purificationis habuit ad populum orationem, in qua inter alia hæc dixit: *Læti hodie lampades ornemus tanquam filii lucis, ceros veras lucis Christo offeramus, quoniam lumen in revelationem gentium mundo apparuit.* Prudentius etiam velde accelebris poeta, carmen integrum, et in Ecclesia catholica receptum de paschalis cerei benedictione conscripsit, cui Synodus Toletana IV (cap. 8) plenissime suffragatur: ut uno verbo multa complectar, sanctorum Patrum antiquitas præclara nobis scripta reliquit; quibus sacrum hæc diem luminarium multis encomiis condecoravit. Hi sunt divus Ioannes Damascenus, Timotheus presbiter Ierosolymitanus, Amphilocheus, Chrysostomus, Gregorius Nyssenus, Eusebius Caesariensis, Cyprianus, Paulinus, Gregorius, Hieronymus, Nazianzenus, necnon Methodius martyr, qui sub Valeriano, et Decio suum pro Christi fide sanguinem fudit, isti omnes Patres unanimes sententia constanter, candelarum, et aliorum luminarium morem minime superstitionis, sed piæ, utilem et salutarem esse: alioquin inanis et irrita esset Ecclesiae præcatio, quæ postulat, ut ipsæ creaturæ sacris mysteriis serviant, divinæ quæ gratiæ, et ad salutes credentium usus sumant effectum; utque salubritas per invocationem sancti et divini nominis expetita ab omnibus impugnationibus sit defensa per Christum Dominum nostrum.

Ratio deinde non parum efficax istorum impietatem luculenter reprobatur: nam in templum allatas candelas, Deum precari, ut ad cerorum, et animarum sanitatem pro sua pietate benedecere, et sanctificare dignetur, nihil aliud est quam Pauli doctrinæ obscundare dicentis: *Creaturam per verbum, et orationem sanctificari:* super quem locum Chrysostomus (super prim. Timoth. 4) per verbum signum creus interpretatur, quod cum precatio coniunctum talem habet sanctificandi vim sequi benedecendi, ut quod sanctificat, virtutem accipiat ad nos protegendum. Adde, quod si res ipsa compertam est, sæpe diabolicis artibus, et magicis incantationibus efficit, ut creaturæ quædam inficiantur in magnum mortaliæ detrimentum, cur in Ecclesia Dei negabimus potestatem esse divinitus collatam ad certas creaturas benedecendas, videlicet aquam, salem, et similia, ut nos a diabolicis incuribus defendant? Unde Clemens Romanus (lib. Cons. Ap.) adducit nonnulla, quæ ritum hunc commendat; et vetustus Ecclesiae Pontifex Eutychieus, necnon et Basilus Magnus, huiusmodi benedictiones ad traditionem apostolicam referant. Ad extremum, inter alia complura portenta, quibus Deus optimus maximus oslendere dignatus est cerorum, et luminarium usum in hæc Deiparæ Mariæ festivitate sibi esse gratissimum.